



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Q. 7. Quid, si Ordinarius plures designet Ecclesias, quàm Romanis  
designet Pontifex? quid, si pauciores?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**

R. 2. Requiritur visitatio religiosa & devota. Visitatur porro Ecclesia propriè etiam ab iis, qui nihil itineris conficiunt; ut qui intra illam habitant. Qui autem ab eâ distat, potest accedere etiam equo, etiam curru. Et quamvis totum iter ad Ecclesiam usque conficiat cum peccato, aut ex peccato veniali, aut etiam mortali, potest nihilominus dici, devotè visitare Ecclesiam, si modestè illam ingrediatur, & in eâ oret. Quia Bullæ nihil præscribunt circa iter ad Ecclesiã, sed circa ipsum accessum & ipsam visitationem. Gobat. n. 127. cum Peyrius, post Navarrum Notab. 32. n. 46.

Q. 7. Quid, si Ordinarius plures designet Ecclesias, quàm Romanis designet Pontifex? quid, si pauciores?

R. 1. Non potest Ordinarius validè plures Ecclesias designare, tanquam necessariò visitandas, quàm sint à Papâ in Urbe præscriptæ. Unde sufficiet tot solùm visitare; & quando plures nominat Ordinarius, videtur id

id facere pro solâ commoditate. Neque enim Ordinarius potest graviores aut plures lucrandi Jubilæi conditiones suis præscribere, quàm Papa præscribat Romanis; ut adhuc diximus *sect. 1. q. 8. Dianap. 5. tr. 12. R. 56.* ex *Bosio; Gobat n. 126. Poiré, Thesaurus gallico Indulgentiarum, p. 2. c. 5. n. 7.*

R. 2. Si pauciores designet, quàm Romæ sunt designatæ; valebit ejus designatio, dummodò tot designet, quot sunt ex præscripto Pontificis designandæ. *Udem.*

Q. 8. Quid, si Ordinarius designet certas Ecclesias aut unam certam Ecclesiam, pro Incolis Civitatis; & alias aut aliam pro Rusticis; & aliam pro Regularibus utriusque Sexûs, putà, Ecclesiam sui Conventus, aut Monasterii, uti fecit Illustriss. Episcopus Tornacensis pro consecutione Jubilæorum novissimorum; An non posset Rusticus, loco Ecclesie sue Parochialis designatæ, similiter & regularis loco Ecclesie sui Monasterii, visitare designatas Ecclesias aut Ecclesiam Civitatis?

R. Vi-